



R. XXI. 8. no. 289.

6233

M. Sam. H.

CATECHISMUS
RELIGIONIS
CHRISTIANÆ,

JUXTA AUTHENTICA BIBLIO-
rum summaria dispositus, certisq; capitibus
& aphorismis expositus,

Atque

IN ILLUSTRISCHOLA NASSO-
via Herbornensi publicæ censuræ pro-
positus:

Præside

REVERENDO ET CLARISSIMO
VIRO DN. HERMANNORAVENSPER-
GERO, sacrosanctæ Theologiæ Do-
ctore & Professore,

ab

HENRICO PITHAN SIGENENSI.

Cyprianus in libro de duodecim
abusionibus.

*Sicut fructus non invenitur in arbore, in qua flos non ap-
paruit: sic in senectute honorem legitimum consequi
non poterit, qui in adolescentia disciplina alicujus
exercitatione non laboravit.*

Anno,

CHRISTVS EST DEVS ET HOMO.

COGNATIS SUIS OBSER-
VANTER ET AMANTER
honorandis,

DN. MARTINO Newraht/ Juris utriusque
Doctore clarissimo, & illustris ac generosif-
simi Herois Johannis Senioris Comitis Nas-
sovia, &c. Consiliario gravissimo:

DN. HENRICO Krafft/


DN. HERMANNO Newraht/

DN. DANIELI Krafft/ ingenii candore, mo-
rum bonitate, humaniori que literaturâ præ-
stantissimo, civi Sigenensi honoratissimo:

} inclyte Reipub.
Sigenensis sca-
binis seniorib.
& prudentissi-
mis:

*Hunc Catechismum tanquam perpetuum ob-
servantia testem & indicem inscribit*

Henricus Pithan Author & Respondens.



CATECHISMUS
RELIGIONIS CHRISTIANÆ.



Uo sunt tractandarum & tradendarum rerum theologiarum genera in ecclesiis & scholis recepta: alterum contractum & popolare, quod vulgò parva Biblia, sive Religionis Christianæ CATECHISMUS: alterum plenum & accuratum, quod non inconvenienter Locorum S. S. Theologiæ communium THESAURUS vocatur.

Aphorism.

I.

2 Catechismi consideranda est Definitio & Partitio.

3 Definitio duplex est, STRICTA, quæ vocis significationem tum *κατὰ λέξιν*, tum *κατ' ἐτυμολογίαν* indicat: & AMPLA quæ rem ipsam ex genere, objecto & fine perfectiùs explicat.

4 Prior hæc esto; *Catechismus est dialogica rerum sacrarum institutio, quæ fit vivâ voce doctoris interrogantis, & discipuli respondentis.* Posterior hujusmodi; *Catechismus est doctrina compendiosa & popu-*

A ij

laris omnium eorum quæ à Prophetis & Apostolis ad mandatum & dictamen Spiritus sancti sunt conscripta, & tanquam media ad salutem creditu vel factu necessaria, hominibus præscripta.

5 Partitio Catechismi multiplex & varia tradi solet.

6 Nos quinq; ejus capita facimus, quia quinq; Religionis Christianæ summaria authentica invenimus. Ea sunt Decalogus, Symbolum Apostolicum, Institutio sacramentorum, Oratio Dominica, & Disciplina ecclesiastica. Ex his Catecheticis & Canonicis textibus rudis etiam populus, cum intellectu salubriter & ad salutem de rebus divinis sufficienter potest & debet erudiri.

7 Summariorum aut quæ enarravimus inquirenda est tum idonea *coherentia*, tum genuina *intelligentia*: quod nos unâ eademq; operâ (Deo benedicente) præstiturifumus.

8 Quicquid in scripturis divinis continetur, vel ad *Doctrinam*, vel ad *Disciplinam* ecclesiasticam refertur.

9 Doctrina ecclesiastica est vel de Dei **FOEDERE**, vel **FOEDERIS APPENDICE**.

10 Fœdus Dei est ejus pactum cum
homine

homine de vita æterna certâ conditione
obtinendâ initum.

11 Fœderis partes duæ sunt: Hominis
promissio, & Dei repromissio.

12 Hominis promissio est, quâ promit-
tit Deo se fideliter eum culturum secun-
dum omnia ipsius mandata.

13 Repromissio Dei est, quâ homini re-
promittit, se fore ei in Deum, si is promif-
sionem à se ex Dei stipulatione factam præ-
stiterit.

14 Promissio hæc Dei verbis quidem
BREVISSIMA est, at sensu AMPLISSI-
MA. Hæc enim comprehenduntur omnes,
quæ in scripturis sparsæ sunt, promissio-
nes, de beatitudine tum Temporaria, tum
Sempiterna.

15 Temporariæ beatitudinis promissio-
nes sunt multorum generum quas præstat
Deus, prout salutis cujusque fœderati novit
expedire.

16 Sempiternæ beatitudinis promissio-
nes sunt de thesauris & beneficiis nobis in
Christo exhibendis, quæ Apostolus cum u-
lo quasi in unum congesto, aureo suo apho-
rismo, non chartis, sed cordibus imprimen-
do, complectitur: *Christus Jesus, inquit, fa-* I. Cor. I. v.
ctus est nobis Sapientia à Deo, Justitiaq; & 30.
Sanctificatio, & Redemptio.

6 C A T E C H I S M U S

Jerem. 32.
v. 31. 32. 33.
Gal. 4. v.
24.

17 Est aut̄ fœdus Dei duplex, *operum & Gratia*: olim per duas uxores Hagaram servam & Saram liberam tanquam typos, adumbratum.

18 Fœdus operum est fœdus Dei cum conditione perfectæ obedientiæ viribus naturæ præstandæ: & exprimitur Lege Morali, unde & legale fœdus dicitur.

19 Lex moralis est doctrina verbi Dei, primitus in creatione naturæ impressa, & postmodū in monte Sinai corā omni Israële decem præceptis expressa: bonū præcipiens & malum prohibens: per annexam vel promissionem salutis, legis observatoribus perfectis, conferendæ: vel comminationem perditionis, legis violatoribus æternū irrogandæ.

Exo. 20. &
Deut. 5.

20 Legis Moralis adeoq; & fœderis operum **SUMMARIUM**, & epitome est **DECALOGUS**.

C A P U T I.

De

Decalogo.

Aphor.
I.

Exod. 24.
v. 1. Deu. 4.
v. 13. & 10.
v. 3. & 4.

DEcalogus est authenticum Legis Summarium, ipsius Dei digito conscriptum, & populo Dei per ministerium Angelorum

rum *a*, & Mosis *b*, traditum, continens *a*, Exod. 20.
breviter & sufficienter quæ Deus homini Act. 7. v. 53.
facienda & fugienda præcipit. Gal. 3. v. 19.
Heb. 2. v. 2.

2 Partes Decalogi sunt duæ; duabus ta- *b*, Exod. 19.
bulis distinctæ: una DEBITUM quo DEO & 24. tot.
obligamur, præceptis quatuor priorib. de- cap.
scribit: altera OFFICIUM erga PROXI-
MUM præceptis sex reliquis exponit.

3 DEBITUM solvendum Deo, est vel
cultus divinus, vel Medium ad cultum il-
lum pertinens.

4 Cultus divinus alius est internus pe-
ctoris: alius externus oris.

5 De interno pectoris cultu duo no-
tanda, objectum & modus illius.

6 Objectum indicatur PRÆCEPTO
PRIMO, nimirum solus Deus.

7 Intelligentia præcepti hujus duorum
investigatione haberi potest. 1. Eorum quæ
veteri Testamento sunt vernacula. 2. Eo-
rum quæ V. & N. Testamento communia.

8 Vernacula V. T. verba hæc sunt, *Ego
sum Dominus Deus tuus qui eduxi te ex Æ-
gypto domo servitutis: quibus Deus partim
jus & potestatem præscribendarum legum
sibi vendicat: partim legi præscriptæ apud
homines gratiam & auctoritatem conci-
liat.*

9 Duo autē de his verbis quæri solent:

A iiij

1. An loco generalis præfationis in totum Decalogum fungantur, vel ad primum præceptum solum pertineant? Respon. Hac de re nemini lis est movenda, quia utraque orthodoxiæ analogæ. 2. An æquè ad Christianos spectent ac ad Judæos? Respon. Duplex est liberatio: una *corporis*, altera *animæ*. Prior ad Judæos tantum spectat: Posterior, quæ per illam significatur, ad omnes qui ex spirituali peccatorum servitute & Diaboli tyrannide per Christum sunt liberari.

Calvin. in
Inst. lib. 2.
c. 8. 5. 13.
Perkins. in
Catech. in
expl. Deca.
præc. 1.

1. Cor. 10. v.
1.

10 Communia V. & N. T. præceptum propriè continent, & sunt hæc, *Non habebis Deos alienos in conspectu meo*. Sensus est: Religiosum fidei & spei cultum soli Deo tribuendum, nec ad creaturam vel minimam ejus particulam transferendam.

11 Vulgo hîc quæritur, quomodo phrasîs Hebraica *על פני* reddenda, & quare addita? Respon. Reddenda non *contra*, non *supra*: sed *coram* faciebus meis, hoc est, *Me*. 2. Addita, ut eò studiosiùs fugiamus idololatriam, etiam occultã. Divino enim cõspectui etiã occulta sunt exposita.

12 Hæc de objecto cultus divini ex præcepto primo: Modus Deum colendi describitur præcepto secundo. In quo consideranda duo. 1. Mandatum. 2. Sanctio mandati.

13 Man-

13 Mandatum duas complectitur partes: quarum prior vetat ne Deum, spiritum illum incōprehensibilem, specie aliquā externā figuremus: altera ne ullas imagines religionis causā habeamus, nedum adoremus.

14 Sanctio mandati duabus circumscribitur partibus. 1. *Comminatione*; Deum cultus sui depravatoribus irasci, & illam sibi illatam injuriam in eorum posteris ulturum. 2. *Promissione*; Deum ritē se colentibus benedicturum, eorumq; posteris benefacturum.

15 Quæri hoc loco solet: An hoc præceptum secundum cum primo unum sit? Respon. Neg. quia diversa est utriusque præcepti sententia, ut patet ex nostra declaratione. 2. An hoc præcepto omnis imaginum structura prohibeatur? Respon. 1. Imagines struuntur vel oblectationis vel adorationis causa. Oblectationis, ut res gestas nobis in memoriam revocent, vitāque subinde jucundam reddant, & sic licitē fiunt. Adorationis, ut per illas Deum repræsentemus & religiosē colamus, & tum illicitē.

Deut. 31. v.

3.

Tilenus
disp. 40. de
2. Decal.
præcept.

16 Talis est internus pectoris cultus: Externus oris est, professio sc. & licita nominis divini assumptio.

A V

17 De hoc agit præceptum tertium: cuius duæ sunt partes, Interdictum, & Interdicti ratio.

18 Interdictum vult, ne nomine divino vanè, curiosè & leviter, sed cum reverentia, ubi necessitas ad veritatis confirmationē postulat, utamur: quin & de DEO, ATTRIBUTIS & MANDATIS Dei cum TIMORE in ejus GLORIAM loquamur.

19 Ratio interdicti per meiosin est enūciata: Non absolveret Jehova, pro eo quod est, quàm severissimè condemnabit, qui nomine ejus abusus fuerit.

20 Quæstio hîc occurrit: An juramento nomen Dei profanetur? Respon. Juramentum aliud est *Necessarium*, quo vel religioni vel charitati servimus: aliud *Temerarium*, quando nulla moti necessitate juramus: Illud juramentum dicitur necessitatis, quo nomen Dei non contumeliâ, sed honore: hoc voluptatis & libidinis, quo non honore, sed maximâ & horrendâ ignominiâ afficitur.

21 Sic habemus objectum cultus divini, itemq; modum & species. Media & exercitia quibus ad cultum Dei legitimum, & profectum in illo opus est, describuntur præcepto quarto.

22 Hujus præcepti tres constituimus par-

par-

partes: 1. Mandatum. 2. Illustrationem.
3. Rationem.

23 *Mandatum* est ut die septimo, qui dicitur Sabbati & quietis, ab operibus non modò *peccati*, sed ordinariis nostræ vocationis abstineamus: & opera *Spiritus* & pietatis solùm tum domi, tum maximè in cœtu publico fideliter exerceamus.

24 *Illustratio* mandati fit per *ἀντίθεσιν*. quia per sex dies operamur, eosq; usui nostro impendimus, æquum est ut unum quiescamus & cultui Dei solemniter tribuamus.

25 *Ratio* huic præcepto addita petitur ab exemplo ipsius Dei legislatoris; quia Deus septimo die ab operibus creationis cessavit, eumq; divino cultui destinando sanctificavit, nos quoque hunc diem sacris tribuendo sanctificare debemus.

26 Ex hoc præcepto dubitari cœptum est: 1. An omnia opera hoc die fieri prohibeantur? Respon. Omnia servilia & cultum Dei impediencia: non, Sabbatum illustrantia, hoc est, ad dilectionem vel ipsius Dei, vel proximi spectantia & ad vitæ necessitatem ita pertinentia, ut moram non patiantur. 2. Cur nos Christiani in N. T. die primo hebdomadis feriemur, non verò septimo, quo in V. T. Judæi feriati sunt? Resp.

II C A T E C H I S M U S

In sabbato Judæorum duo consideranda sunt: tum id quod est *Ceremoniale* & temporarium, ut sc. *dies septimus* sanctificetur: tum id quod tanquam *Morale* & perpetuum subest, scil. ut sanctificetur Sabbatum aliquod, at non ipso septimo die. Ceremonia illa typus fuit sanctificationis Ecclesiæ per Messiam venturum, ideoq; per adventum ejus unà cum aliis ceremoniis est abolita. Christus ergo diem septimum in primum mutavit, in perpetuam gloriosæ suæ (quæ eo die facta est) resurrectionis memoriam: ut percipitur ex eo quòd illo die bis post resurrectionem suam discipulis apparuit, ut videre est Joh. 20. v. 19. & 26. quodq; Apostoli, qui omnia ex voluntate Christi in Ecclesia instituerunt, diem illum sanctifi-

*ut apparet **care sunt soliti.** * Atque inde **DIES DOMI-**
ex Act. 20. N I C U S Apoc. 1. v. 10. & primus hebdoma-
 v. 7. & 1. **dis,** 1. Cor. 16. v. 2. qui olim **Dies Solis** dice-
 Cor. 16. v. 2. **batur,** dictus est. 3. **Quare jumenta jube-**
batur quiescere, quorum tamen quies cul-
 tus divini rationem nullam habet? **Resp.**
Jumenta jubentur quiescere non tam sui,
quàm hominum causâ, qui iis in labore
 suo utuntur, ut ita laborandi occasio iis
 præscindatur & adimatur.

27 Hactenus de prima Decalogi & par-
 te & tabula, quâ **DEBITUM,** quo **Deo** obli-
 gati

gati sumus, describitur: sequitur pars & tabula secunda, quæ OFFICIUM, quo proximo nostro propter Deum sumus obstricti, persequitur.

28 De officiis erga proximum duo traduntur. 1. Ipsam studium. 2. Studii illius officiosi radix.

29 Studium in proximum est vel secundum vocationem singularem uniuscujusque: vel citra rationem ordinis singularis.

Jun. in anal. Exod. cap. 20.

30 Prius continetur PRÆCEPTO QUINTO, quod habet evidentem sententiam de parentibus & filiis, sive Naturâ sive ordine & instituto, dictis, adjunctâ promissione erga obsequentes. Eph. 6.

31 Hujus igitur præcepti duæ sunt partes, Mandatum & promissio mandato annexa.

32 Mandatum est de officiis inferiorum erga superiores, & superiorum erga inferiores, hoc sine datum, ut ordo politicus conservetur, & quilibet in vocatione sua sanctè & religiosè incedat.

Tilenus disp. 44. de 5. præcepto.

33 Nomine ergo Patris & Matris per synecdochen dicuntur, quoscunq; Deus liberis propriè vel impropriè dictis, puta subditis, servis, discipulis, junioribus, &c. regèdis & tuendis præfecit; quibus suis debe-

Reverendus Dominus Præcep. Joh. Piscator in expo. Cat. præcept. 5. & Tilenus disp. 44. Perkinus.

tur honos, *Mente, Affectu, Gestu, Sermone, & opere.* Nec liberant inferiores ab hoc debito superiorum vitia. Officium enim à persona discernendum. *Vitia personarum detestanda: officium propter divinam ordinationem honorandum.*

34 *Promissio* mandato annexa, est vita longæva, non tam ex diuturno & longo tempore, quàm ex Dei benedictione æstimanda.

Eph. 6, 2,

35 Hic quæritur, quo sensu Apostolus dicat, præceptum hoc esse primum cum promissione, cum præceptum 2. promissionem illustrem habeat? Respon. Apostolus intelligit, præceptum primum cum promissione scilicet in tabula secunda. Alii respondent, (quod nobis nondum placet) cum promissione peculiari. Secundum enim præceptum habet misericordiæ promissionem in mille generationes, sed universalem. Vide annotat. ad loc. Ephesios adject. interpr. Theo. Bezæ. Rursum quæritur, Cur Deus huic solùm secundæ tabulæ præcepto promissionem addiderit? Resp. 1. ut hac promissione inferiores ad observantiam majorum magis alliceret. 2. ut testaretur quanti honorem parentibus debitum æstimaret. 3. Quia obedientia erga parentes est præparatio ad obedientiam totius tabulæ

tabulæ secundæ, & nervus totius societatis humanæ. 3. Cur parentes nominentur, nō vetò major aliqua & eminentior politici ordinis persona? Resp. 1. Quia patria potestas est omnium prima. 2. Quia hæc est regula aliarum gubernationum. 3. Quia est reliquis amabilior. 4. Quia obligatio liberorum erga parentes est arctior & contemptus atrocior.

Trelcatius
in Insti. loc.
de operib.

36 Hæc de studio in proximum secundum vocationem singularem; studium in eundem citra ordinis singularis rationem, est de officiis communibus in proximum quemque promiscuè.

37 Estque vel principale, vel minùs principale.

38 *Principale* est in ipsam proximi nostri personam: & tuetur vel vitæ illius incolumitatem, vel corporis castitatem.

39 *Vita* incolumitas mandatur præcepto sexto, ut nim. Si quid opera nostra ad tuendam proximi vitam subsidii afferre potest, eam fideliter impendamus, & manum auxiliarem promptè & alacriter præbeamus, ab omni violentiâ & injuriâ sive diligentiam sive negligentiâ factâ, abstinemus, nec ullâ noxâ proximo nostro insidiamur, tum ut VIVAT, tum ut BENE VIVAT.

Tilennus
disp. 45.

40 Quæstio in hoc præceptum vulgaris est, An omnibus hominibus prohibitum sit occidere? Respon. Persona quæ occidit, est vel *Publica*, ut Magistratus politicus, qui ad fontes plectendum proque merito delicti occidendum, à Deo est vocatus & gladio armatus: vel *Privata*, & illi omni homicidio interdictum est.

41 *Corporis* castitas mandatur præcepto septimo, *Non scortaberis*. Scopus præcepti est conservatio castitatis tum in cœlibatu tum in conjugio. Proinde etiam tum cœlibibus, tum conjugatis dictum hîc est, ne vel intemperantiâ affectuum, vel illecebris cogitationum, vel impudentiâ gestuum, vel obscœnitate verborum, vel deniq; facti impuritate, castitatem sive pudicitiam lædant, & vagas libidines adimpleant.

42 Illustris est quæstio quæ ad hoc præceptum moveri solet, An Polygamia sit licita? Respon. Polygamia duplex est. Aut enim uno eodemque tempore plures uxores ducuntur, aut soluto matrimonio alia uxor ducitur. Hæc licita, 1. Cor. 7. 39. Illa prohibita, quia cum prima matrimonii institutione pugnat. Huic addimus aliam: 2. An matrimonium sit res adiaphora? Respon. Matrimonium aliis est concessum, aliis liberum, aliis necessarium & mandatum.

Matt. 19. v.
4. 5. 6. & 8.

tum.

tum. Omnibus, qui per ætatem ad illud idonei sunt, concessum: donum continentia habentibus liberum: illo autem carentibus necessarium & mandatum.

1. Cor. 7. v.
1. 2. 8.

43 *Minus principale* studium erga proximum promiscuè est in ea quæ proximi personam comitantur: & respicit vel ejus in res dominium, vel ejusdem nominis existimationem.

44 *Rerum dominium* asseritur præcepto octavo, cujus scopus est, possessionū proximi quas ad hujus vitæ sustentationem à Deo accepit, cōservatio. Prohibentur ergo omnis generis furta, sive violenter & manifestè, sive per vafriciem, dolum & aliam qualemcunque obliquam rationem sint commissa.

Calvinus
in Catech.
præc. 8.

45 Existimatio nominis mandatur præcepto nono: cujus sententia est, ut veritatem sine fuce colamus, cōtrà omnem falsitatem fugiamus.

Idem in
Insti. lib. 2.
c. 8. s. 47.

46 Hic oritur quæstio: An OMNE mendacium sit peccatum? Respon. Sunt qui inter triplex mēdacium, Perniciosum, Jocosum & Officiosum distinguunt. Primū damnant, alterum excusant, tertium laudant. Nos hæc mendacia non *specie*, sed *gradu* differre existimamus. Ac proinde affirmamus, omnia mendacia peccata esse, sed aliud alio majus.

Ursin. in
Cate. præc.
9. & Tile-
nus dis. 49.

47 Haftenus de ipfo studio & officio, quod proximo praestare tenemur. *Radix* omnium officiorum antecedentium describitur praecipit 10. per expressum eorum **IMPEDIMENTUM.**

Junius d. l.

48 *Impedimentum* omnium officiorum proximo exhibendorum est **CONCUPISCENTIA**, quæ nihil est aliud, quàm motus discedens ab eo quod juris est secundum justum ordinem ipsius. Quapropter non defuerunt, qui concupiscentiam idem esse cum originali peccato statuerent. Nos ita distinguimus (ut rem paucis explicemus) peccatum originale habitum esse innatū in nobis: concupiscentiā verò primum esse motum sive actum ex eo habitu proficiscentem. Differunt itaq; ut causa & effectum.

49 Hic multum litigatur: An praecipitum de concupiscentia numero unum sit, an verò duo. Respon. Unum esse constat. 1. Quia in Exo. & Deut. diversus est verborū ordo, & in hoc uxor, in illo verò domus proximi, praepositur. 2. Quia & in Exodo & in Deut. uno comprehenditur versiculo.

Ro, 7. v. 8.

3. Quia Paulus totum contextum Mosis uno praecipito complectitur, Concupiscentiam non novissem, nisi lex dixisset: *Non concupisces.*

50 Coro-

50 Coronidis loco queritur de usu LEGIS, quis & qualis ille sit? Respon. Legis usus duplex est: Unus respectu non-renatorum, alter respectu renatorum. Respectu non-renatorum, rursus duplex est: Unus, ut electi nondum renati adducantur in veram cognitionem suorum peccatorum, atq; ita urgeantur ad remissionem illorum quaerendam in Christo: Alter, ut reprobi magis inexcusabiles reddantur. Respectu renatorum rursus duplex est: Unus, ut in cognitione suae corruptionis ac proinde in humilitate indies magis proficiant: Alter, ut regulam habeant, secundum quam per omnem vitam sese Deo pro beneficiis eius gratos declarent. Hucusq; de foedere operum & ejus epitome, nim. DECALOGO: sequitur FOEDUS GRATIAE. Foedus gratiae est foedus Dei, quo Christum cum omnibus beneficiis homini promittit, sub conditione hac, si is in illum credat, & ex illa fide Deum colat. Hoc foedus potissimum in Evangelio describitur: indeque Evangelicum, & simpliciter nomine substantivo Evangelium dicitur. Evangelii summarium est Symbolum Apostolicum.

C A P U T II.

De

Symbolo Apostolico.

Aphor. I.

Symbolum est authenticum Evangelii Summarium, sive ab ipsis Apostolis, sive ab aliis ex illorum scriptis in forma solennis confessionis propositum, certisque articulis distinctum, continens ea omnia quæ ad salutem Christianis sunt creditu necessaria.

2 Symboli partes duæ sunt: una de **D E O** altera de **E C C L E S I A D E I**.

3 De Deo in symbolo explicantur duo: **Ejus NATURA, & OPERA.**

4 Natura Dei est, qua Deus est id quod est.

5 Natura Dei consideratur vel absolute in **Essentia**, vel Relate in personali **substantia**.

6 Essentia Dei est absoluta Dei natura, quâ Deus à se ipso & per se ipsum est.

7 Essentiæ spectanda est tum unitas, tum proprietates.

8 Unitas essentiæ divinæ, seu Deum esse unum numero absolute, Symbolum aperte asserit, dum in **D E U M**, non **D E O S**, credendum dicit.

9 Tamet-

9 Tametsi enim expressè trium personarum fit mentio, quarum unaquæque verus Deus est, non tamē Deos, sed Deum nominat, ut unitatem essentiæ in trinitate personarum asserat.

10 Sic de unitate: PROPRIETATES essentiæ, ipsamet essentia sunt, non verò ab essentia, nec inter se reapse differunt.

11 Hæ proprietates à Theologis secantur in duos ordines.

12 Primi ordinis sunt absolutæ, quæ nullum ad res creatas respectum habent, sed qualis sit Deus suâ naturâ, demonstrât: atque ideo in Symbolo nostro sub ipsa vocula DEI comprehenduntur.

13 Hujus ordinis sunt Simplicitas & Infinitas.

14 SIMPLICITAS est quâ Essentia divina omnis omnino compositionis expers est.

15 Ea complectitur Spiritualitatem & Immutabilitatem: quarum illa Deum corporeum & visibilem: hæc mutabilem negat.

16 Infinitas duplex est: Æternitas & Immenfitas: quarum illa de Deo Principium & Finem: hæc dimensionem seu omnem mensuram negat.

17 Secundi ordinis proprietates essen-

tiales sunt, quæ cum aliqua ad creaturas relatione considerari possunt, inque iis & ex iis tanquam speculo lucent.

18 Hujus ordinis expressè in Symbolo ponitur omnipotentia.

19 Ejus spectanda est cum amplitudo, tum genuina in Symbolo significatio.

20 Amplitudinem si spectes, sub omnipotentia Dei illius etiam omniscientia, voluntas, bonitas, misericordia, justitia, veritas & reliquæ proprietates, quæ necessariò requiruntur ad res sapienter creandas, beneque regendas, hominesque servandos, &c. comprehenduntur. Quæ enim cognoscit Deus, ideo cognoscit, quia potuit cognoscere: quæ vult, ideo vult, quia potuit velle: quæ amat, ideo amat, quia potuit amare: quorum miseretur, ideo miseretur, quia potest misereri, atque ita de reliquis.

21 Significationem si spectes, omnipotentia est virtus Dei, quâ quidvis, quando & quomodocunque vult, potest efficere & operari.

22 Hucusq; de absoluta Dei essentia: Personalis subsistentia est natura Dei in distinctis personis determinata.

23 Personarum Deitatis cognosci debent numerus & proprietates.

24 Per-

24 Personę Deitatis in Symbolo recensentur numero tres, Pater, Filius & Spiritus sanctus.

25 Hæ tres personæ sunt coessentialiales & æquales : distinguuntur quidem realiter, non tamen essentialiter. Discernuntur quidem ordine, non tamen gradu, non dignitate.

26 Pater est prima persona Deitatis, quæ verè ex se genuit Filium ab æterno.

27 Filius est secunda persona, quæ verè est genita à Patre in essentia divina.

28 Spiritus sanctus est tertia persona Deitatis, quæ procedit à Patre & Filio æqualiter.

29 Proprietates personales sunt idiomatica characteristica, quibus unaquæque persona ab altera distinguitur. *Patris* proprietas incommunicabilis est *Paternitas*: *Filii Generatio*: *Spiritus sancti Processio*.

30 Hactenus de Dei natura : sequitur de eius operibus.

31 Opera Dei sunt, quæcunque Deus ipse agit ad suam gloriam & suorum salutem.

32 Ea à theologis distinguuntur variè. Nos juxta præscriptum Symboli de tribus Dei maximè præclaris operibus agemus,
quæ

quæ tribus Deitatis personis communia sunt: servato tamen singulis proprio agendi modo.

33 Opera Dei quorum fit mentio in Symbolo, & ex quibus Deus à nobis cognoscitur, sunt tria:

1. Creationis
2. Redemptionis
3. Sanctificationis.

34 Creatio est opus Dei, quo res omnes ex nihilo fecit.

35 Estque vel immediata, vel mediata.

36 *Immediata* creatio est opus Dei, quo substantiam ex simpliciter nihilo produxit.

37 *Mediata* est, quæ materiam quidem aliquam præsupponit, sed ita rudem & indispositam, ut pro nihilo possit haberi.

38 Quicquid autem vel mediatè vel immediatè Deus creavit, id cœli terreque nomine Symbolum complectitur.

39 Cœli nomine continetur expansum & expansi incolæ.

Gen. I. v. 6.
& 7.

40 Expansum, cujus Moses meminit, notat tres cœlos, quorum in scriptura passim fit mentio: cœlum nimirum Aëreum, Stelliferum & Beatorum.

41 In-

41 Incolæ cœli aërei sunt volucres; stelliferi, stellæ; Beatorum, Angeli.

42 Angeli sunt creature spirituales, Dei creatoris ministri.

43 Sunt vel boni vel mali.

44 *Boni* qui in sua integritate in quâ conditi erant, ex gratiâ à Deo confirmati perstiterunt.

45 *Mali* qui propter voluntariam malitiam è cœlo in infernum dejecti sunt, malorumque omnium authores exstiterunt.

46 Terræ nomine intelligitur non solû moles quam in mediâ mundi parte Deus consistere iussit: sed etiam arbores, herbæ & flores, quibus eam convestivit: item innumerabilia animantium genera quibus eam complevit: ac in primis HOMO, quem Terræ dominum & omnium animantium in terra Præsidem constituit.

47 Homo cōsideratur juxta duplicem statû, videlicet ante lapsum & post lapsum.

48 Homo ante lapsum beatus erat, utpote ad imaginem Dei conditus & libero arbitrio ad bonum præditus.

49 Homo post lapsum consideratur rursus bifariam: vel sub conditione corruptæ naturæ, vel sub Gratiâ.

50 Sub conditione Naturæ corruptæ homo miser est, tetram imaginem Diaboli

B

gerens, & arbitrium ad malum servum habens.

51 Miseriæ hujus duæ sunt partes, peccatum, & pœna peccati.

52 Peccatum est aberratio à lege Dei, ex ordine justitiæ divinæ ad pœnā obligans.

53 Pœna peccati est passio & mors tum temporalis tum æterna.

54 Sub gratiâ homo consideratus, à miseriâ illâ in quam per peccatum incidit, est liberatus, recipitq; imaginem Dei & arbitrium liberum ad bonum, in hac vita inchoativè, post hanc vitam perfectè.

55 Liberatio hæc fit per Christum Redemptorē nostrum unicū, de quo in seqq.

57 Hæc de creatione: redemptio est alterum opus divinum in Symbolo descriptum, quo Deus secundū beneplacitum voluntatis suæ Ecclesiam suam redemit.

57 Fundamentum redemptionis est Jesus, hoc est, redemptor sive salvator.

58 Domini Jesu ex Symbolo explicari debet 1. Persona. 2. Officium.

59 Jesus est Θεὸν ἴσους, Sermo, caro factus, seu Filius Dei, virtute & operatione Spiritus sancti ex Maria virgine natus.

60 Duæ igitur in Jesu sunt naturæ unitæ, divina, & humana.

61 Unionis hujus spectandus est modus & effectus.

62 *Modus*

62 *Modus* hic est: *Filius Dei unigenitus*, naturam humanam verâ animâ & corpore constantem, humanis tum proprietatibus præditam, tum infirmitatibus, peccato tamen carentibus, obnoxiam, in unitatem suæ personæ assumpsit, & assumendo tam incommutabiliter & inconfusè quàm inseparabiliter & indivisè univit.

Heb. 2. v.
16.17.

63 Effectus hujus unionis personalis est, quòd partim id quod utrique naturæ commune est, de personâ ab alterutrâ naturâ denominatâ enuntiatur: partim id quod unius naturæ proprium est, de personâ ab alterâ naturâ denominatâ prædicatur. Quarum phrasium prior *communium appropriatio*, posterior *idiomatum communicatio* vocatur.

64 Hæc de personâ Jesu: sequitur de ejus officio.

65 Officium Jesu consideratur vel juxta suas species, vel juxta Christi status, quos alii vocant (parum convenienter) officii partes.

66 Species significantur voculâ Christi, hoc est, uncti. Sicut enim (ait Trelocatius loc. de offic. Christi pag. 122.) olim triplex vocatio, nimirû prophetica, sacerdotalis & regia externo oleo confirmari solita est: ita Jesus noster est Christus, hoc est, nobis à

B ij

patre unctus, & lætitiæ oleo, id est, Spiritu sancto, confirmatus in Prophetam, sacerdotem & regem.

67 Tres igitur sunt officii Christi species: Officium Propheticum, quo nos docet malum nostrum & bonum divinæ gratiæ. Sacerdotale, quo nos redimit à malo nostro & parat nobis divinam gratiam. Regium, quo nos defendit ab omni malo & tuetur in illa parata & nobis collata gratiâ.

68 Status Christi duplex est: Exinanitionis & Exaltationis. Utriusq; tres indicantur gradus inter se oppositi.

69 *Exinanitionis* nimirum solemnis illius & extreme gradus sunt: Passio ad mortem, sepultura & descensus ad inferos.

70 *Passio* ad mortem est, qua sub iudice Pontio Pilato multa probra, convitia & tormenta sustinuit, usq; dum in ligno crucis ignominiosissimè & tanquam execrabilis pendens & voce magna exclamans, *Eli lama sabachthani*, spiritum emitteret.

71 *Sepultura* est quâ corpus Christi de mortui de cruce sumptum in sepulchro novo reconditum est.

72 *Descensus ad inferos* est extremus exinanitionis Christi gradus, & omnis passionis clausula. Per eum quid sit intelligendum,

dum,

dum, nondum definimus. Alii articulum hunc tollunt; quod improbamus. Alii limbum quendam comminiscuntur, quod damnamus. Alii cum statu exaltationis confundunt; quod miramur. Alii sepulturam intelligunt; quod nondum recipimus. Alii omnis passionis ἀνακεφαλαίωσιν statuunt; quod non videtur convenire cum epitome. Alii ad sensum iræ divinæ referunt; quod non displicet. Alii de triduo & ignominioso mortis dominio accipiunt, quod valdè probabile. Alii denique realem animæ in cruce à corpore separatæ descensum volunt, quod verisimile.

73 *Exaltationis* gradus sunt, Resurrectio, ascensio, sessio ad dextram patris.

74 *Resurrectio* est, quâ morte subactâ seipsum ad vitam æternam divinâ potentiâ suscitavit.

75 *Ascensio* est, quâ eâdem potentiâ verè & visibiliter corpus suum in cœlum beatorum transtulit.

76 *Sessio* ad dextram Dei patris est, quâ plenitudinem tum potestatis tum gloriæ nactus est, & utramq; plenissimè in *illustri* suo *ad judicium adventu* ostendet.

77 Restat tertium opus Dei quod nobis in Symbolo describitur: nimirum *Sanctificatio*.

78 Sanctificatio est opus divinum, quo Deus ecclesiam suam propter meritum Christi purificat, ut eam suo tempore ad se in cœleste regnum traducat.

79 Sanctificationis notari debent partes & author.

80 *Partes* sunt duæ: Mortificatio carnis seu veteris hominis: & vivificatio spiritus seu novi hominis.

81 *Author* live effector sanctificationis est Spiritus sanctus, tertia Deitatis persona, inhabitans & purificans corda electorum.

Rom. 1. 4.
Jesa. 6.

Inde enim Spiritus *sanctificationis* dicitur, & Sanctus hoc loco, tū quòd ipse, ut Deus sanctus est: tum quòd nos sancto Deo conformes facit.

82 Hucusque de prima Symboli parte, nimirum de Deo: sequitur pars altera quæ est de Ecclesia Dei.

84 Ecclesia est societas fidelium, quos Deus ad vitam æternam prædestinavit.

84 Ejus notari debet tum adjuncta qualitas: tum adjunctum bonum.

85 Qualitas duplex est: Sanctitas, & universalitas.

Ursinus in
Catech, de
fide.

86 Sancta dicitur ecclesia, quia quam Christus semel suo sanguine redemit & suâ justitiâ vestivit, etiam porrò Spiritu suo ad sanctitatem & innocentiam vitæ reformat;

mat; quæ in hac vita inchoatur: in futura autem perficietur.

87 Catholica dicitur, quia omnibus ^{Idem.} mundi temporibus & ex omnibus gentibus & mundi partibus, aliqui in Christum credentes sunt & erunt usque ad finem, qui hanc ecclesiam constituunt.

88 Bonum ecclesiæ, est omnium beneficiorum morte Christi partorum fruitio. Hoc bonum partim est explicatum supra, ubi de ejus authore & largitore: partim hîc velut in compendio, ubi de boni illius hærede & possessore, explicandum redit.

89 Bonum autem hoc considerandum est vel in se simpliciter, respectu veræ Christi ecclesiæ: vel oppositè, respectu ecclesiæ Malignantium.

90 Priori respectu vel generaliter consideratur: vel specialiter juxta gradus.

91 Generaliter consideratum Bonum est communio sanctorum.

92 Eaque est vel sanctorum cum Deo: vel sanctorum inter se.

93 Communio sanctorum cum Deo, est gratiosa Dei in credentibus inhabitatio, & salutarium donorum collatio.

94 Communio sanctorum inter se, est omnium membrorum Christi in uno capite coalitio, quâ fit ut quicquid singuli

donorum à Deo accipiant ad salutem totius ecclesiæ conferant.

95 Specialiter consideratur bonum ecclesiæ juxta suos gradus. Gradus tres sunt.

96 *Primus* remissio peccatorum, quâ Deus & culpam & pœnam peccatorum gratis credentibus remittit seu justitiam imputat. *Medius* est gloriosa carnis resurrectio, quâ corpora sanctorum vi resurrectionis Christi ad salutem & beatam immortalitatem resurgent. *Ultimus* est vita æterna, quâ sancti in cœlum suscepti atque ab omni tristitia & miseria liberati, perfectâ gloriâ & plenâ beatitudine tum corpore tum anima in omnes omnium seculorum æternitates fruuntur.

Calvin. in
Catech.

97 Sic consideravimus bonum ecclesiæ simpliciter in se respectu fidelium, idq; juxta Symbolum, quod nil nisi quod ad consolationem piarum mentium faciat, habet: ideò recensentur tantummodo præmia quæ servis suis præparavit Dominus.

98 Oppositè autem si considerabitur Bonum illud respectu Infidelium, apparebit quoque fors eorum.

99 Impii enim qui à Regno Dei sunt alieni, nec Remissionem suorum peccatorum in Christo consequuntur; nec ad vitam, sed ad mortem & extremam miseriam resur-

resurgent: nec ullum gaudium, sed infernales & sempiternos cruciatus in anima & corpore sentient.

Hucusque de duplici Dei cum homine in inito fœdere & utriusque summario, Decalogo & Symbolo: sequitur de fœderis appendice. Appêdix duplex est, una cõfirmationis: altera impetrationis. Illâ bonũ testamêto promissum nobis confirmatur ut Sacramento: hâc tanquam ordinario medio à nobis impetratur, ut oratione,

C A P U T III.

De

Sacramentis.

Sacramenta gratiam fœderis tanquam annexa diplomati signa & sigilla evidenter signant & firmiter obsignant.

2 Sacramentorum notari oportet 1. Requisita. 2. Affectiones sive adjuncta. 3. Numerum.

3 *Requisita* sacramenti propriè dicti sunt tria: 1. Ut sit externum & materiale signũ; 2. Idq; non humanitus, sed divinitus institutum. 3. Et quidem ad gratiam in fœdere Dei promissam omnibus fœderatis amplius declarandum & efficacius obsignandum.

B V

4 *Affectio*nes Sacramentorum notabimus tres. Eæ sunt, dignitas, utilitas, & necessitas.

Trel. lib. 2. Instit. loc. 9. *Dignitas* Sacramentorum pendet à dignitate authoris Jesu Christi *Ἰησοῦ Χριστοῦ*. Majestatis enim & Excellentiaæ solius divinae est Sacramentorum institutio; quia solus Deus jus habet signatum promittendi, & potentiam illud ipsum applicandi.

6 *Utilitas* consistit in promissione gratiosa sacramentis addita, quæ velut est anima eorum.

Zanchius de Religione Christi. c. 15. th. 5. *Necessitas* Sacramentorum ita est comparata, ut ad salutem quidem sint necessaria, non tamen præcisè & absolutè. Non enim privatio, sed contemptus sacramentorum damnat, teste Augustino.

8 Numerus sacramentorum in N. T. non est septenarius, sed binarius. Duo enim tantùm à Christo instituta sunt sacramenta, Baptismus, Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. & 16. & sacra Cœna, Matth. 26. v. 26. & seqq. Marc. 14. v. 22. & seqq. Luc. 22. v. 19. & seqq. 1. Cor. 11. v. 24. & seqq.

9 Ad intellectũ institutionis Baptismi sequentes determinandæ sunt quæstiones. 1. Quid. 2. Quotuplex sit Baptismus. 3. Qui. 4. Quâ formâ. 5. Quibus ritibus: 6. Quos baptizare debeant.

10. Quid

10 Quid Baptismus sit, ex eius definitione tum nominali tum essentiali patebit.

11 Etymon vocis si spectes, Baptismus est quævis ablutio & purificatio quæ fit per aquam.

12 Rem ipsam si respicias, Apostolum definitorem audias: Baptismus est lavacrū Regenerationis & Renovationis Spiritus sancti.

ad Titū 3.
v. 5.

13 Baptismus vulgo triplex est, sanguinis, & accipitur pro cruce & martyrio, Marc. 10. 38. 2. Fluminis, & accipitur pro effusione donorum Dei visibilium, quibus instructi fuerunt Apostoli, Act. 11. v. 15. 3. Fluminis, & accipitur propriè pro sacramento.

De 2.

Trel. lib. 2.
loco 10.

14 Etsi autem hic Baptismus fluminis specie unus est, Eph. 4. 5: distinctionem tamen in *Externum* sive *Aqua*, Joh. 1. v. 26. & *Internum* sive *Spiritus*, Matth. 3. v. 11. immeritò quidam reprehendunt.

15 Baptizare debet non aliquis privatus, in fictitio casu necessitatis, sed minister verbi divini legitimè vocatus. Conjuncta enim sunt docere Evangelium, & administrare sacramenta. Siquidem quibus dixit Christus: *Ite & docete*, iis quoq; dixit, *Baptizate*.

De 3.

Matth. 28.

19.

16 *Forma* Baptismi est, ut minister ba-

De 4.

ptizet in nomen (ἐἰς τὸ ὄνομα) Patris, Filii & Spiritus sancti, hoc est, in cultum.

De s.

17 *Ritus* Baptismi sunt: 1. Ut minister baptizet aquâ naturali, mundâ & communi, non adhibito oleo, non sale, non sputo, &c. 2. Ut baptizandus vel immergatur, vel aquâ aspergatur pro regionum diversitate. Hæc enim actio libera est Christianis, quia charitas & necessitas dispensant de ceremoniis, easque ἐπιεικείῃ quâdam temperant, quatenus id salva analogia fidei fieri potest.

Perkinsus
in armilla
aurea c. 33.

18 Baptizandi sunt omnes & soli confederati, sive revera tales sint, sive probabiliter tales censeantur: item sive sint adulti Catechumeni qui ad ecclesiam recens accedunt, fidemq; & pœnitentiam profitentur: sive infantes in ecclesia à parentibus fidelibus nati: Ratio 1. Quia pertinent ad fœdus & ecclesiam Dei.

2 Quia ad eos pertinet promissio fœderis, scil. Remissio peccatorum & regnum cœlorum, Matth. 19. 13. Ergo signum promissionis eis non est denegandum. 3. Quia hoc signo ab hominibus impiis & profanis, qui ad ecclesiam non pertinent distinguendi. 4. Quia infantes in V. T. circumcidebantur. Ergo in N. T. baptizandi; siquidem Baptismus in locum circumcisionis successit.

19 Hæc

19 Hæc de Baptismo: sequitur alterum ecclesiæ Christianæ in perpetuum illius usum institutum sacramentum, nimirum Cœna sacra, seu Dominica.

20 Sacra cœna est secundum N. T. sacramentum à Christo immediatè institutū, quo Christianis jam adultis, baptizatis, & se ipsos probantibus, distributione & sumptione signorum visibilium Panis & Vini testatur, se tam certò corpus suum pro eis morti tradidisse & sanguinem effudisse, quàm certo panem hunc edunt & vinum hoc bibunt.

21 Ad institutionem hujus sacramenti rectiùs intelligendum, quatuor sunt attendenda. 1. Ritus institutionis. 2. Scopus institutionis. 3. Modus manducationis corporis Christi. 4. Libertas fruitionis S. cœnæ.

22 *Ritus* quos in administratione cœnæ usurpamus, & de quibus controversia est, sunt 5. Primus est, quòd habemus Mensas ad imitationem primæ cœnæ: non verò altaria: quæ unà cum sacrificiis quibus erant destinata adventu Christi sunt abrogata. 2. Usurpamus ad exemplū Christi & Apostolorum itemque primitivæ ecclesiæ, panem cibarium, vulgarem & usitatum: non hostias, tum quòd veram nutriendi vim

Nahumus
in Assertio-
ne contra
mysterio-
machos.
Heb. 7.13.

I. Cor. II.
24.

Ibidem.

non habent, quam analogia sacramenti requirit, tum quòd à Pontifice Romano ad superstitionem sunt adinventæ. 3. Panem frangimus, & communicaturis deceter in manus porrigimus, partim propter exemplum & mandatum Christi, partim propter analogiam sacramentalem. Panis namque fractio, Christi corporis fractionem in cruce repræsentat: non integrum ori ingerimus. 4. Poculum non certæ alicujus materiæ aut formæ requirimus: sed cujuscunque (modò honestè) recipimus. 5. Omnes communicaturos tam cibatos quàm jejunos (modò in fide & pietate accedant) admittimus; quia in cœna prima omnes esu agni paschalis jam erant saturati, quum sacramentum cœnæ fuit institutum & administratum.

De 2.

23 *Scopus* institutionis seu *finis* cœnæ Dominicæ est ἀνάμνησις, hoc est, non nuda historica cogitatio, sed recordatio mortis Christi & beneficiorum morte illâ acquirentium, conjunctâ fide, quâ Christum ejusque beneficia nobis applicamus & pro beneficiis acceptis gratias agimus.

De 3.

24 *Manducatio* in cœna alia est *externa*, *Symbolica* & *Ceremonialis*, quâ signum corporis Christi ore corporis nostri manducamus, alia, *Interna* & *Spiritualis*, quâ rei signi-

gnificatæ per fidem participes sumus. Utramq; in S. Cœnæ administratione debemus conjungere: hoc est, panem, qui corporis Christi signum est, ore corporis nostri comedere, ipsum verò corpus Christi per panem significatum, ore animæ, hoc est, fide, manducare.

25 Restat ultimum, qui ad Cœnam accedere & admitti debeant. *Accedere debent* qui probare se valent, hoc est, qui I. Cor, II. v. 28.
 1. peccata sentiunt, fatentur & lugent. 2. Verâ fide sunt præditi. 3. Pietatis studio flagrant. *Admittendi* sunt non solum pii, sed etiam hypocritæ Ecclesiæ nondum patefacti, modò mysterium hoc intelligant, & interrogati intelligentiæ rationem reddant.

C A P U T IV.

De

Oratione Dominica.

Dictum est de prima fœderis appendice, nimirum sacramentis, quibus Deus Bonorum in fœdere promissorum nos certos reddit: sequitur appendix altera, scilicet oratio, quâ piè ad Deum fusâ,

eorundem bonorum nos compotes facit.

2 Oratio est ardens fidelis animi cum Deo colloquium, quâ credentes promissioni & confirmationi fœderis, bona aliqua à Deo petunt, & pro acceptis gratias agunt.

3 Certis orationum formulis non sumus alligati, exceptâ eâ, quam Dominus noster Jesus Christus nobis præscripsit & precari præcepit Matth. 6. v. 9. Luc. 11. v. 2.

4 Orationis hujus Dominicæ tres sunt partes. 1. Isagoge. 2. Perioche. 3. Clausula.

5. *Isagoge est verbis quidem aridissima. sensu verò gravissima & doctrina plenissima.* Singulæ namq; voces singularem habent emphasin.

6 *Patris nomine admonemur* 1. de Dei erga nos paterno affectu & amore. 2. De nostri in Deum officio & filiali erga eum Reverentia & Fiducia.

7 *Noster* dicimus, non *meus*, ut ita mutuæ in ecclesia filiorum Dei charitatis monitorium habeamus, & alii pro aliis lubenter apud Deum intercedamus.

8 *In cœlis* Patrem invocamus: 1. Quia in & è cœlo Deus illustriùs suam patefacit majestatem & gloriam. 2. Quia cogitationes è terra rebusq; terrenis in cœlum elevandæ.

9 Hæc

Zanchius
de natura
Dei lib. 2.
cap. 6.

9 Hæc Isagoge: sequitur perioche sex petitionum, quarum alię *Precatoria* sunt, alię *Deprecatoria*. Illis precamur: his deprecamur.

10 Precamur bonum vel *Æternum* & spirituale: vel *Temporale* & caducum.

11 *Spirituale* bonum est vel summum, vel medium, vel infimum.

12 *Summum* est gloria nominis divini. petit. 1.

13 Per *Nomen* Dei intelligitur Deus ipse, proprietates, opera & verbum Dei. Perkins in Cateche.

14 Sanctificatio hęc nihil est aliud quã separatio ab omni oblivione, contemptu, profanatione, blasphemia & cunctis abusibus, & ad sanctum ac reverentialem usum sive sermone, sive mente id fiat, destinatio.

15 Petimus igitur, ut nomen Dei in se sanctum à nobis tanquam sanctum agnoscat & celebretur.

16 *Medium* bonum spirituale est fruitio regni divini, quæ à Deo homini conceditur.

17 Regnum Dei unicum est: distinguitur tamen in *inchoatum*, nimirum respectu principii, quod est in hac vita, & aliàs vocatur *Regnum gratiæ*: vel *consummatum*, nimirum respectu complementi quod fu-

turum est post hanc vitam, & aliàs dicitur *Regnum gloria*. Gloriam igitur, quã propter Christum in altera vita donabimur, hîc petimus, quæ veniet postquam Filius hominis venerit in nubibus ad iudicandum mundum.

18 *Infimum* bonum spirituale est, gratia homini necessaria ad observandum Dei mandata, & accipiendum promissam gloriam, petit. 3.

Piscator. in
exposit
Catech,

19 Per voluntatem Dei, intelligimus eam quæ in utroque verbi divini testamẽto nobis est revelata, quamque à nobis fieri præcepit. Debet autem à nobis fieri *sicut in cælo* fit ab angelis, qui ad exequendum mandata Dei promptissimi & alacerrimi sunt, Ps. 103. 20.

20 Precamur igitur hîc, ut pravas Deus in nobis cupiditates sepeliat, ipse solus in nobis agat, ut divinã gratiã illustrati & adjuvi, officio nostro satisfaciamus.

21 Hactenus de bono spirituali & æterno: sequitur temporale & caducum, quod est victus & amictus corporalis; pet. 4.

Perkins. in
Catech,

22 *Panis* nomine per synecdochen petimus omnia bona corporalia ad hanc vitam commodè vivendam necessaria. *Nostrum* verò cùm dicimus, intelligimus eum panem, qui nobis alendis
à Deo

à) Deo destinatus, & labore nostro legitimo ex vocatione acquisitus est. *Quotidianum* vocamus, quò curam & sollicitudinẽ, cum diffidentia conjunctam, damnemus.

23 Fallunt igitur & falluntur qui per pa-
nem simul spiritualem animæ cibum in-
telligunt. Calvin. in
Instit. pet.
4.

24 Utilis hîc quæstio exoritur: An & di-
vites hæc petitio attineat? Respon. Etiam.
Etsi enim omnia eorum impleta sint hor-
rea & cellaria, omnisque iis affluat co-
pia, Dei tamen benedictione indigent,
tum ut quod habent retineant, tum
ut cum pace & in suam salutem eo fru-
antur, & non laqueum proprium ipsi circum-
ferant.

25 Hactenus Precatorias petitiones ex-
plicavimus: *Deprecatoria* ordine sequuntur,
quibus aversionem mali tum præsentis
tum futuri deprecamur.

26 Malum præsens, hoc est, peccatum
tū originale tū actuale deprecamur pet. 5.
& vocamus ἀναλογία quâdam debitum. Ut
enim debitum vel ad solutionẽ, vel ad vin-
cula: sic etiã peccata vel ad satisfactionem
justitiæ Dei, vel ad pœnã & gehennã obli-
gât. Volumus aut peccata nobis à Deo re-
mitteri, sicut & nos remittimus debitorib. no-
stris. quib. verbis nõ modus præscribitur Deo;
sed & signaculũ datur nobis, quod condona-

Veneran-
dus Domi-
nus noster
præceptor
Piscator in
Expos. Ca-
tech.

tionē peccatorū impetraturi simus, & ex-
ponitur remissionis ratio, q̄ fundata est in
testimonio promissionis divinæ, Matt. 6. v.
14. 15. Si remiseritis hominib. offensas eo-
rum: pater vester & vobis remittet.

27 Mali futuri aversionem deprecamur
pet. 6. cujus sensus est: ne Deus nos tentet
ultra id quod possumus, & ne Diabolo,
mūdo vel carni nostrę permittat, ut ad pec-
cata ita nos sollicitent, ut à via pietatis tra-
hāt, quin potius ut nos tutos & incolumes
à potestate Diaboli, carnis & mundi servet.

In Inst. 1.3.
ca. 25. s. 46.

28 Hic disceptatur an Maligni nomine
Diabolum, an peccatum intelligamus?
Resp. Calvinus, utrū hoc vel illum intelli-
gamus quā minimū refert. Satan quidem
ipse hostis est, qui vitæ nostræ insidiatur:
peccato autē armatus est in nostrū exitiū.
Petimus ergo ne ullis tentationibus vinca-
mur, ac obruamur: sed ut Domini virtute
& manu contra omnes virtutes adversas
quibus oppugnamur, fortes stemus.

Calvinus
in Catech.

29 Hactenus de petitionibus: sequitur
clausula: quā docemur 1. precum nostra-
rum fulcrum non esse ullam nostram di-
gnitatem, sed Dei Potentiam, & Bonita-
tem. 2. Dei laudibus preces omnes finien-
das. *Tuum est regnum*; hoc est, tu es posses-
sor & dominus proprietarius rerū omnī
qui

qui supremum supra res omnes imperium obtines: *Potentia*, hoc est, non solum habes regnum, sed etiam potentiam dandi, juvandi que infinitam. *Gloria*, hoc est, omnis honor, qui è donis in nos collatis proficiscitur, ad te tanquam fontem redibit.

30 *Amen* particula exprimit votum, quod superadditur desiderio in ipsis petitionibus jam antè expresso, tantumq; significat, quod verè sive certè scil. fiat quod petimus.

HActenus de iis quæ Ecclesiasticam continent doctrinam: superest ut paucis dicamus de Ecclesiastica disciplina. Utrum verò hoc religionis caput sit omittendum, morosè nolumus contendere. Liberum cuique relinquimus suum iudicium, & id candoris ab aliis vicissim expectamus.

C A P U T V.

Disciplina Ecclesiastica est decens politia Ecclesiasticæ tum administratio, tum iurisdictio.

2 *Administratio* in conciliis & synodis Ecclesiasticis potissimum conspicitur.

3 *Concilium* sive *synodus* est legitimus & liber doctorum & piorum virorum con-

ventus, in quo placidè , accuratè & in timore Dei, collatis sententiis & examinatis rationibus, quid sacra scriptura de controversiis Ecclesiasticis pronuntiet, Ecclesiis communi consensu exponitur.

4 Jurisdictio est censura vel mitior, vel rigidior. Illa est quâ aliquando publicè totum presbyterium, aliquando privatim Pastor, isque, vel solus vel adhibito uno atq; altero teste, quempiam corrigit.

5 Rigidior censura dicitur excommunicatio, qua quispiam ex mandato Christi Satanæ traditur, ac ex sanctorum communionem justè exclusus declaratur, proindeq; à communione sacramentorum arcetur, donec suam resipiscentiam probabiliter fuerit testatus.

Hic est Catechismus seu planior & cōtractior rerum Theologicarum tractatio: sequitur locorū sacrosanctæ theologiæ cōmuniū plenior Thesaurus, quē alii investigandum & promendum relinquimus.

Ἀσμάριον εὐχαριστήριον.

Soli Deo sit gloria
Nobis suâ qui gratiâ
Mentem suam benigniter
Revelat atq; largiter.



JOH. HENRICI ALSTEDI

PHALÆCUS

AD

PER MODESTUM ET ELEGANTIS
ingeni juvenem, DN. HENRICUM
PITHAN, Biblia parva methodicè
tractata publicæ censuræ
subjicientem.



*Itam quæ faciunt beatio rem,
Florētissime, care amice, sunt hæc.*

I. Decalogus.

- 1 Amor serius & metus Jehovæ.
- 2 Idolon odium tenebricorum.
- 3 Numen cautio sancta pejerandi.
- 4 Sabbati sacra lex. 5. Honos parentum.
- 6 Non occidere. 7. Non adulterari.
- 8 Neminem spoliare fraude furti.
- 9 Testimonia non dedisse falsò.
- 10 Privæ non cupiisse proximorum.

II. Disciplina Ecclesiastica.

*Ad hæc; solvere ritè, dein ligare:
Fratrem ritè monere; quod potestas
Clavium imperitat, sancta hæc potestas.
Vitam quæ faciunt beatio rem,
Florentissime, care amice, sunt hæc.*

III. Symbolum.

Hæc vita est; fidei sit ista norma:

Mortem at qua faciunt beatiorem,
Florentissime, care amice, sunt hac:
Firma credere persuasione
In Deum omnipotentia suprema,
Patrem scilicet ante secula entem;
In Christum quoq; credere, inq; Flamen
Sacratum: simul unice fateri
Coetum Apostolicâ fide aggregatum,
Quem communio jungat arcta, sancta:
Certumq; esse animo nefas remitti:
Nec carnem dubitare humo excitandam,
Sed spem perpetua fovere vita:

IV. Sacramenta.

Nec baptismatis abnegare fontem,
Et sacram venerarier Synaxin:

V. Oratio Dominica.

Et Deo precibus piis litare.
Vitam qua faciunt beatiorem,
Mortem & qua faciunt beatiorem,
Florentissime, care amice, sunt hac.

F I N I S.

1750f
Theol. ev. asc

